



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quid sit propriè vita aeterna.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Plerique veteres solebant olim parietibus in sculpe-
re: considera æternitatem. Sic Apostolus ad Tit. 1. no-
minat se Apostolum Iesu Christi iuxta fidem electo-
rum, per quam habemus spem vitæ æternæ. & 1. The-
4. inquit, semper cum Domino erimus: his scripturæ
locis oportet dare fidē, & nullatenus dubitare, & sic
confirmatur fides huius articuli de vita æterna.

2. Secundò, quid sit vita æterna, nunc tractemus. Est
autem vita æterna cognitio Dei & Domini nostri Ie-
su Christi, quæ hîc in fide & certissima spe in spiritu
incipit, & manifestabitur post hanc vitã in æterno gau-
dio & felicitate. Sic inquit Christus Ioan. 17. Hęc est
vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, &
quem misisti Iesum Christum. per hanc agnitionem
qua agnosco Deum patrem omnipotentem, vt crea-
torem corporis & animæ, & datorem bonorum om-
niũ: deinde, qua agnosco Christum filiũ Dei vt meũ
redemptorem: postremò, quòd Deum Spiritum san-
ctum agnosco, vt meum sanctificatorem & illumi-
natorem: in tali igitur agnitione Dei incipio viuere
in spiritu & in fide, & in tali fide viuere iustus, A-
bake 2 hîc in præsentem vsq; post hanc mortem, tunc in-
re apertè incipiet vita æterna in gaudio & felicitate
ex clariore intuitu & cognitione Dei. Nam summa
felicitas est atque erit, intueri Deum facie ad faciem.
Quòd si quis tantoperè delectatur, si viderit amœni-
simam picturã, vel audiat dulcem harmoniam: quan-
tò maior erit suauitas, intueri Deum, summum bo-
num, summũ pulchrum? Est igitur vita æterna aliud
nihil, nisi perpetua iustitia, perpetua sanitas, perpe-
tuum gaudiũ, perpetua delectatio, & satietas omniũ
rerũ, ita qd animus nihil ampliùs petat. Psal. 16. satia-
bor cum apparuerit gloria tua. Possumus quidẽ dice-
re quòd sit vita æterna, sed perfectè explicare quid sit
non possumus: nam dicitur Esai. 64. & 1. Cor. 2. quòd
oculus non viderit, nec auris audiuerit, nec in cogi-
tatione hominis

hominis ascenderit, quæ præparauit Deus diligentibus se &c. hoc autem trimum ex scripturis, quod ibi non erit mors, neq; dolor, neq; tristitia, neq; fames, neque sitis, neque frigus, neque calor, &cæt. Esai. 25. Apocalyps. 21. ibi erunt electi fulgentes, sicut Sol, Matthæi 13. & sicut Angeli Dei non nubentes, Matth. 22. ibi erunt variæ mansiones, Ioan. 14. Secundum quod quisque fecerit, habebit suum præmium. 1. Cor. 3. ibi nõ erit Sathanas, peccatum, mors, aut infernus, nec tribulatio, sed æterna lux & claritas in vera cognitione Dei, atque æternum gaudium & felicitas. Igitur Apostolus ad Roman. 8. inquit: Non sunt condignæ passionibus huius temporis ad futuram gloriã, quæ reuelabitur in nobis. Ex his omnibus agnoscimus immensam Christi gratiam & charitatem erga nos, qui, vt hæc haberemus, & æternam felicitatem, & vitam acquirere possemus, venit in mundum, & mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter iustificationem nostram, Roman. 4.

Tertio, mors æterna dicitur damnatio perpetua 34. malorum. Mors naturæ etsi interfecerit sanctos Dei, Christus tamen ipsis reddit vitam æternam, sicut Ioan. 8. Amen amen dico vobis, qui sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Et Ioan. 11. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet. Pœna autem damnatorum perpetua est, sicut Christus vocat ignem æternum, Matth. 25 & Matt. 3. Ioannes vocat ignem inextinguibilem, & Esai. vlt. dicitur: Vermis illorum nõ morietur, id est, accusatio & terror conscientie de ira Dei: & ignis nõ extinguetur. Eandemque sententiam Christus ipse Marc. 9. propè de verbo ad verbum repetit. Differunt ergo vita & mors æterna, nõ in æternitate, quia ambo æterna, sed in gloria, gaudio, & felicitate, atque pœna, terrore & luctu: nam ibi erunt tenebræ exteriores, vbi est fletus & stridor dentium, Lucæ 13. Augustin. Sermone 109. de 22. 24. 15. 2 tempore: